

enim beati in societate et colloquio cum DEO, angelis et beatis. Vel quoad *locum*. Erunt enim in loco omnium amoenissimo, nouo coelo et noua terra. Vel quoad *vitam ipsam*, quae gaudii et felicitatis summum attinget gradum. De quibus prolixius practici.

*An DEVS oculis corporeis videri possit?*

§. 23. Visio DEI beatifica proprie non consistit in oculis corporeis. Nonnulli absolute *negant*, oculis corporeis DEVM videri posse. *Probantque*

I. *A clarissima scripturae littera*, I. Tim. VI, 16. Exod. XXXIII, 20. Io. I, 18. I. Io. IV, 12.

II. *Ab improportione potentiae visivae*, quae est materialis, et substantiae diuinae, quae est spiritualis. Si itaque fieri non potest, vt auris videat, vt oculus audiat, quia neutrum habet aliquam proportionem ad illum effectum, cum tamen vtraque potentia sit materialis, multo minus fieri poterit, vt oculus DEVM videat, cum oculus sit materialis, DEVS immaterialis. Et si DEVS oculo corporeo potest videri, tum nihil impedit, quo minus et audiri possit, cum sine externo signo loquitur, et tangi atque gustari, Psalm. XXXIV, 9. cum in omnibus sensibus ad DEVM eadem sit proportio et repugnantia. Alii *docent absolute videri DEVM utique etiam oculis corporeis posse*. *Probant*

I. *A clarissima pariter Scripturae littera*, Io. XIX, 26. 27. ad quam tamen alii respondent, non esse eo loco de DEO in essentia sua considerato, sed de redemptore in humana natura spectato sermonem.

II. *Ab*